



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Antonii Mvsae Brasavoli Medici Ferrariensis Examen  
omnium Trochiscorum Vnguentorum, Ceratorum,  
Emplastrorum, Cataplasmatumque, & Collyriorum**

**Brasavola, Antonio Musa**

**Venetiis, MDLI**

Vnguentum de Minio IX

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70720)

Plumbi usti drach. I.  
 Bulliant in aqua rosacea & de super iniice  
 Aquæ rosarum unc. II.  
 Olei rosati unc. I.  
 Boli armeni unc. semis  
 Cere albæ drach. II.  
 Misce, & fiat unguetum secundū artem. Alij præterea  
 sunt & Venetijs, & Romæ, qui sequentem parant ac  
 seruant compositionem.

Recipe Lithargyrij	}	Singulorum unc. III.
Thuris		
Plumbi usti		
Aceti	}	Singulorum lib. I. semis
Succi solatri		
Olei myrtini		
Succi glycyrrhizæ	}	Singulorum unc. VI.
Succi saluiæ		
Succi scillæ		
Camphore unc. III.		

Cum modico cere fiat unguentum in mortario plūbeo.  
 SE. Ex tot rebus nunquam fieri audiui. BRAS. Ica-  
 circo neque ego hanc compositionem probo, sed potius  
 tuam parato, quam superius adduxisti compositionem,  
 & seruato.

SENE X. IX.

Ad unguentum de Minio me conferre oportet, quoniā  
 suam sedem post unguentum de plumbo habet. BRAS.  
 Et authorem à quo accipis adducito, & compositionem  
 explicato. SE. A quo authore accipiatur ignoro, tamē  
 ita conficio, ut à recentioribus scriptum est, nam Minij  
 lib. I.

lib. I. et sem. accipio, olei cōmunis lib. I. lēto igne coquo,  
 & in magdaleones reduco. BRAS. Alij accipiunt  
 minij lib. I. olei rosati uel olei myrtini lib. II. miscent &  
 in lingulā æreā ponunt, et lento igne bulliunt ad olei cō=  
 sumptionem, spatula semper agitando ne aduratur, sed  
 in bonam formam reducatur. SE. Hoc est quod facit  
 ut aliqui habeāt liquidius hoc unguentum, aliqui minus  
 liquidum, aliqui durius, immo illud quod ego seruo adeo  
 durum est ut ceratum uocari posset, (accipiendo nomen  
 ceratum ut à recentibus accipitur). BRAS. Simpli=  
 cissimum est hoc unguentum, quia nihil recipit præter  
 oleum & minium, ualet ad inflammatas partes, ad cry=  
 sipelata, ad supercalefactas partes, præsertim quan=  
 do exiccatione simul indigemus, in malignis ulceribus  
 calidis cōuenit, et in summa ubi frigiditas exigitur, atq;  
 siccitas. SE. Probas ne ut commune oleum potius ac=  
 cipiatur quam rosaceum, uel myrtinum? BRASA.  
 Nemo ambigere debet rosaceum, atq; myrtinum ad un=  
 guentum intentionem potius accedere quàm commune  
 oleum, quoniam rosaceum frigefacit, roborat, atq; exic=  
 cat, præsertim si omphacinum accipiatur, magis exic=  
 cat, si cum myrtino fiat. reperitur apud authores bar=  
 baros eiusmodi unguentum ut apud Argillatam &  
 Bertapaleam, authores quidem suo tempore celebres,  
 sed quibus & libri deerant atq; linguæ, nec adeo erant  
 in compositionibus, ac simplicibus uersati ut nunc homi=  
 nes sunt. SE. Ex his quæ dixisti nullus est antiquus  
 author qui de hoc unguento pertractauerit. BRAS.  
 Nullus quem sciam.